

CARMEN  
INNATIVI  
TATEM JESU CHRISTI,

ΘΕΑΝΘΡΩΠΟΥ COELORUM REGIS,  
mortaliū Redemptoris, pueruli omnib⁹  
seculis desideratissimi, scriptum.

â

Laurentio Junio Templinensi Marchico,

Vratislaviæ chori Musici ad D. Barbaræ

Sympphonistā, Anno

A Morte æternā CVstoDI nos bone IEsV.



O LSNAE SILESIORVM

Sub incude Chalcographicâ

Johannis Bössmeßleri.

M. DC. XIII.

AMPLISSIMO, PRUDENTISSIMO, VERA GENERIS ANIMIQ. NOBILITATE,  
ERUDITIONE, PLURIMARUM RERUM USU &  
experiennâ, aliarumq; virtutum laude &  
præstantiâ eminentissimo viro

Dn. LEONHARDO Delhafsen/

à Schellenbach in Boraw/it. Inclytæ  
VratisL: Reipublicæ Senatori fidelissimo  
ac celeberrimo.

UT ET

SPECTATISSIMO, PERITISSIMO,  
VERA NOBILITATE, DOCTRINA, SAPIEN-  
tiâ, pietate, & eximiâ virtutis vîtæq; gravitate  
clarissimo viro

Dn. GEORGIO Eben/ Civi ac Mercatori  
VratisL. Primario.

NEC NON

HONESTISSIMO, INTEGERRIMO,  
PRUDENTIA, VIRTUTE, MULTOQ.  
rerum usu præstantissimo viro

Dn. JACOBO ALBERTI, Inclytæ Zythopola-  
rum Tribus apud Vratislavenses Seniori dignissimo, Ædisq;  
ad D. Barbaræ Presidi vigilanssimo.

Dominis ac Mæcenatibus suis, Literarum & Litera-  
torum Fautoribus, eâ, quâ par est ac decet, animi submissione plu-  
rimùm colendis, pro felici ac salutari novi Anni ingredientis  
auspicio dedicatum.

\* \* \*



SI.  
ATE,  
&  
  
JN NATALEM CHRISTI.

Vos degeneres generati è semine Apelle  
Jeſæo, Niliq; patres ditione soluti;  
O vos expertes legum, ô pietatis avitæ,  
Ante alios scelere immanes & tristibus ausis.  
Quæ vos, ô miseri, stygis excæcavit Erinnys?  
Quæ vos Eumenides rapuerunt angue comantes?  
Quod REGEM superum, superi PATRIS incrementum,  
Spem Mundi certam, vitæ pacisq; datorem,  
Devastatorem Mortis, Plutonis & Orci,  
Temneret elatæ mentis fiducia vestræ;  
Cum tamen huic puero serviret pontus & æther:  
Quicquid & arx cœli, quicquid tenet orbita mundi:  
Imò etiam rationis inops curvaret asellus  
Se, & taurus, cui grande caput, cui plurima cervix,  
Cui tenus à mento crura & palearia pendent,  
Huic supplex fieret deflexo poplite GNATO,  
O genus invisum, brutisq; ferocius ipsis;  
Gens inimica D E O, procul à pietate remota.

Non ita nos; qui gens CHRISTI sumus empta cruore:  
Ipsius & verbum, versi ad meliora, fatemur:  
Carmine sed canimus nascentis tempora CHRISTI  
Annua, gratifico fundentes jubila plausu;  
Tota quibus tellus letatur, & arduus æther.

A 2

O VOS

O vos Pierides plectri jam promite Musæ  
Barbita, & aligeræ volucres per inane volantes  
Tollite lætisenos cantus ad sidera cœli ;  
Vos teneræ mentes, pueri, innuptæq; puellæ,  
Promite dulce melos, cunas resonate Salutis  
Autoris JESU, natalem dicite CHRISTI :  
Quo solo fundata salus stat nomine nostra :  
Quem dilecta DEO peperit Thamneia virgo,  
Plena pudicitiâ, nec non pietate virago,  
Semine de nullo, nullis temerata hymenæis.  
Nos quoq; jam cunas ejus modulabimur unâ,  
Læticiae plenas, præstantes pharmaca nobis  
Fluctibus in cunctis fortunæ, & mortis agone.

Tristia turbato discedite nubila cœlo,  
Purius alma jubar Proserpina sparge per orbem ;  
Heliadumq; parens hilares nunc exere vultus ;  
Aspera mitescant Borealis frigora venti ;  
Sistat & horrendus bacchari spiritus Euri ;  
Namq; hæc læticiae lux nobis signa reportat.

At tu, cui meritis oritur fiducia chartis,  
Immanuel dilecte, meis allabere cœptis ;  
Friget opus sine te, nil mens humana salubre,  
Efficit, ergo meæ sis verus Apollo Camæna.

A urea terrarum pax circumfulserat orbem,  
Et cœsar validis arctârat vincâ catenis,  
Clenserat æratis belli quoq; prælia portis ;  
Nosceret utq; suas Gazas, viresq; potentis

Imperii.

Imperii, exhaustasq; armis cīvilibus urbes  
Augustas, terras censeri jussēt omnes,  
Latē describi populos, numerumq; referri  
Cūctorum ad sēcē capitum, quæ maxima tellus  
Sustinet, & rapido complectitur aequore Nereus,  
Mox parent dictis populi de semine Iude;  
Mathiades etiam nutans ētate Josephus,  
Vir gravis, & divū quo non reverentior alter  
Cum Mariā [quæ casta toro tūm juncta jugali  
Ipsius fuerat, veneris tamen inscia furti:]  
Tendit in antiquæ Jessēia mœnia Bethles,  
Ambo Jessæ & stirpis, Galileados ambo.  
Jamq; peroptatam, recidente sub aequore Phœbo,  
Metam contigerant, urbem peterantq; Davidis.  
Mille ædes adeunt, & plurima tecta revisunt,  
Hospitium lachrymis, & supplice voce petentes:  
Nullius ast animum tantæ mōvēre querelæ;  
Inter mille domos nec erat quæ excepērit ulla;  
Illi instant verbis, & vota precantia fundunt:  
Ab liceat nobis, liceat tantummodo vile  
Tectum intrare domus, sævosq; levare dolores  
Frigore conceptos, defessaq; membra fovere:  
Irrita sed vacuas tendebant vota per auras.

Pauperis at tandem in casulam venēre coloni,  
Squalloris plenam fœdi, gravis undiq; odoris,  
Turbinibus graviter vexatam Eurig; Notig;.  
Fessos hic artus, & corpora lassa relaxant:

A 3

Mox

Mox dure venis Josephus silicis ignem.  
Elicit, & subito lichnos immittit in illum:  
Sicq; ad Mariam, divo quæ pondere ventrem  
Portabat gravidum, sacrato est ore locutus:

Diva parens, sine fœta viro, fidissima consors,  
Nunc spacium emensi ad Bethles pervenimus arva;  
Plurima perpessi, passuri plura pericla:  
Ne verò plegeat mecum tot adire labores,  
Adversiq; animo tolerare incommoda fati,  
Ire redire vias ad Bethlen tamq; molestas.  
Nam meanon fiunt Divum sine numine cœpta:  
Sic ait: & cereris depromit pauperis escam,  
Tristia quâ vacui relevant jejunia ventris.

Jamq; ferè nitidi soror aurea Cynthia Phœbi  
Noctivago curru medium pulsabat Olympum:  
Cuncta ubi per terras animalia somnus habebat,  
Alituumq; genus, cessabant æquora ponti  
Densis cum sylvis, & cursu fessus Joseph  
Membra simul dederat placide relevanda quieti:  
Cum virgo tempus præsensit adesse beatum,  
Quo sanctum ventris pondus deponeret alvo:  
Ergo preces casto concepit pectore sacras  
Alma parens, tales fuditq; ad sidera voces.

Sancte pater superum, patribus jurata salutis  
Fœdera promissæ memori sub pectore servas:  
Quæq; mibi misera sit gratia facta puellæ;  
Debitus enjamjam seclorum vertitur ordo,

Horat.

Horaq; felicis properat l<sup>a</sup>tissima partus,  
O REX cœlicolum fer opem Matriq; SATO<sup>2</sup>.  
Vix ea fata: statim cùm sancta virago levatis  
Nixibus infantem cœlestes edit in auras:  
Quem subito involuit tenui velamine nudum,  
Et stipulae arenti imponit fœnoq; misellum,  
Indomitus juxta taurus sub dentibus herbas  
Mandens, cum tardè gradiente cubabat asello.  
Hi flexo sanctum venerantur poplite Numen,  
Nevé recens natus mala frigora sentiat infans,  
Fumificis gelidas depellunt flatibus auras.  
Hæc ubi Josephus maculis non obsitus ullis  
Viderat, ab quoties jactare est talia visus,  
Oscula defigens infanti, & basia libans:

O PUE R, æterni patris immemorabile VERBUM,  
Per quod cuncta D<sup>E</sup>US, fatiq; immunis & ævi  
Fecit, quæ grandis tenet undiq; machina mundi:  
Par ratione patri, & vo, animo, vi, numine, luce,  
Virtute, imperio, splendore, cacumine, honore,:  
O spes, pax, requies, hominum quoq; dulcis amator,  
Lux, via, vita, salus, decor & decus omne tuorum.  
O λόγος æterne, o promissum semen Adamo  
Exoptata salus tandem mea pectora visis,  
Venisti tandem puer expectate per ævum.  
Ah sed quām tantum fors REGEM indigna moratur?  
Quām nihil augusti cultus spectatur in urbe?  
Hic non strata tibi sternuntur mollia plumis;

Ab te non rutilo radiantes marmore postes,  
Non præclara tuum claudunt prætoria corpus:  
Nulla triumphalis sunt hic spectacula pompa:  
Stramen at, & pungens arenti gramine fænum.  
Stella tamen preiens ignotum sidus Olympo  
Huc aget extremos Reges oriente profectos,  
Admonitos fatis, & dio numine tactos;  
Qui tibi dona ferent, Aurum, stactesq; liquorem,  
Thuraq; Sabæas olim collecta per oras:  
Quamvis Herodes furis agitatus inquis  
Irarum magnos volvat sub pectore fluctus  
Barbarus, atq; velit multas committere cœdes.  
Tunc tremulae infantum squallebunt sanguine cunes;  
Et miseræ implebunt matres ululatibus urbes:  
At septem gemini fugiemus ad ostia Nili  
Donec erit demptus truculentà morte Tyrannus;  
Hinc demùm referes Phario de littore gressus,  
Paulatim accedes predicta ad munia vite,  
Grana salutiferi spargas ut cœlica verbi.  
Sed post cùm fuerit tempus, cùm venerit hora,  
Quà tu sancte Puer, verum de lumine lumen,  
Deponas vitam pro mundi labe maligni  
Distentis manibus transversi stirpis in ara,  
Purpureo ostendens fædatum sanguine vultum,  
Et quassata simul crudeli membra flagello:  
Pendebis misere ab summi mens certa parentis.  
Hinc decus astrorum patuli fax publica mundi  
Amittet nitidam pallenti corpore lucem,



Et claram tristes speciem mutabit in umbras.  
Tu verò fontes animas, vincitamq; catervam,  
Ut victor, tecum revehes è faucibus Orci,  
Ferrea tartarei perrumpens claustra Tyranni.  
Tertia ubi radiis aurora retexerit orbem;  
Tunc patrium repetes jam non mortalis olympum,  
Pectora & humanis votis assueta tenebis.

P Astores ovium vigilabant agmina circum,  
Et pecoris teneri, tacitæ sub tempore noctis:  
Cùm puer æthereus cœlo demissus ab alto,  
Ocyor & ventis, & fulminis ocyor alis:  
Ac propè delapsus supra caput astitit illis,  
Talibus & trepidos verbis affatus amicis.  
Ne trepidate metu, longè timor omnis abesto:  
En ego magna fero vobis nunc gaudia olympos  
Mis̄sus, quæ totum sunt divulganda per orbem:  
En vobis hodiè est natus Davidis in urbe  
Salvator mundi tecto sub paupere JESUS:  
Quem multi cupiere patres, multiq; Prophetæ  
Cernere, qui placidè veteris sub tempore pacti  
Vixerunt, supero sic disponente JEHOVĀ.  
Ite citi, agrestes violis aspergite cunas,  
Infantem tenerum mox invenietis eentes  
Vilibus in pannis positum, stabulog; jacentem.  
Hec ubi fatus erat, niveo mox lucis amictu  
Adjungunt subito juvenum se turba sacrorum,  
Talia & Hyblæis modulantur carmina verbis:

A S

Grata

Grata Panomphæo sit laus & gloria Regi,  
Pax nova terrigenis, bona semper ubiqu voluntas.  
His ita complebant concentibus aera divisi  
Angelicae turmæ, plausus lætiqu triumphi  
Usque ut manarent à vespere solis ad ortum,  
Et testaretur præsentia gaudia mundus,  
Terræ, & immensum pelagus, cœlumque profundum.  
Mox metus omnis abit, parent gregibusque relatis  
Insis cœlicolum, celeres gradiuntur in urbem,  
Pauperis & tuguri congestum cespite culmen.  
Intrant, atque novum recubantem in stramine Regem  
Inveniunt, illique statim pia basia libant,  
Depromuntque simul munuscula dulcia ruris  
Parvi, & sic puerum gratantes voce salutant:

Salve sancte puer, salve pie CHRISTE Redemptor  
Humani generis, dux unice & unice victor;  
Salve, qui miseris has lucis natus in auras,  
Luce magis pulcher, roseo formosior astro;  
Ante tot ò patribus promissum secula munus  
Salve, Rex Regum salve, Domine & Dominorum  
Salve, reclusa est per te jam janua cœli,  
Per tegu offensi deserviit ira parentis;  
O Sol justicie, spes nostræ certa salutis.

His dictis factisque: vale Mariæ atque Josepho  
Dicunt, atque petunt sua tecta domosque vicissim  
Gavisque illic celebrant pietate puellum.

Nos quoque pastorum socij nunc, optime JESU,  
Ad tua demissa venimus cunabula mente,

Digna



Digna tibi laudum præconia voce sonantes.  
O salve & nobis, verbum & tua sacra professis;  
Respice jam nostræ scelerata piacula culpæ:  
O pie CHRISTE, patris verbum immemorabile, tolle,  
Tolle, precamur, onus scelerum, fædosq; reatus,  
Nostrorum, crebro quoniam peccâsse fatemur:  
Da nobis veniam, nobis placabilis esto:  
Fac nobis redeant pacatæ gaudia mentis  
Pax redeat, fax Martis eat ceu fumus in auras.  
Pelle famem procul hinc, pestem, contagia dira  
Et quæcunq; premant mala nostros cuncta penates:  
Sic sic carminibus melius celerabere nostris:  
Et, venerande puer, JESU puer optime CHRISTE,  
Laudisonâ sine fine tibi sic voce canemus:  
SIT NOVO IN EXCELSIS ET TERRIS GLORIA REGI:  
Qui DEUS est, & verus HOMO, sine fine gubernans:  
Sis JESUS, mihi sis, Sacrato nomine, JESU.

---

## Ad præcedentis Carminis

Autorem.

DUM sacra, Laurenti, cantas cunabula JESU:  
Quo generi humano stat reparata Salus:  
Ex animo meritò tibi gratulor. atq; supremo  
A DOMINO vita tempora longa precor:  
Scilicet, ut cunas ejus persæpè sacratas  
Hoc redeunte die concelebrare queas.

CHRISTIANUS PANTZHAGIUS  
Wardenensis Megapolitanus Breslæ  
ad D. Elisabeth: choralis.

ALIUD



ALIUD.

**I**ndicium est animi sermo! Tu carmine, JUNI,  
Profers SACRA! Animus non malus ergo Tibi est.  
Macte! Tuâ cumulatur, honos, sic Pallade, CHRISTI;  
Quid? Tuus est; vivet post Tua fata Tibi.

Fabianus Lehmannus

Sag. Siles.

ALIUD:

**N**atalem PUERI, describens, optime, JESU  
Non, ô LAURENTI, rem sine laude facis.  
Hujus enim infantis, nil, quam canere ardua facta,  
Terrarum orbe vago, pulchrius esse potest.  
Perge ut cœpisti, liquide sic vivus aquai  
Fons, tradet superum, præmia, sede, tibi.

GEORGIUS ZENCKER  
Strelâ SiL.



CIRCA 1570  
CHRISTIANUS TARTHERIENSIS  
MAGISTER MUSICOLOGI ET  
ALATRADO: STRELAS: D. 1570.

ALIUD

Elenctis contentarum.

Bismarci vita et res gestae theologorū orthodoxorū recent.  
MASNERI Fides Jobi.  
concilium oecumenicum octavum.

ULB Halle  
003 509 435

3



SLB:

V3 17



## Farbkarte #13



# CARMEN INNATIVI TATEM JESU CHRISTI,

ΘΕΑΝΘΡΩΠΟΥ COELORUM REGIS,  
mortaliū Redemptoris, pueruli omnib⁹  
seculis desideratissimi, scriptum,

â

Laurentio Junio Templinensi Marchico,  
Vratislaviæ chori Musici ad D. Barbaræ  
Symphonistā, Anno  
A Morte æternā CVstoDI nos bone I E s V.



O L S N A E S I L E S I O R U M

Sub include Chalcographicā

Johannis Bössnielleri.

M. DC. XIII.